Insuper somniabat Strojnovius et omnia seminaria dioecesanea regimini universitatis subiugare; at restiterunt episcopi. Hoc proposito frustrato subdidit tamen isto regimini surculum suum, dictum „seminarium generale“, a se creatum et pro elevandis selectis alumnis e seminariis dioecesanis et scholis theologicis monasticis, summa studia petentibus, destinatum, semota scilicet auctoritate et directione episcopi.

Pro alimentis et provisione huiusce seminarii contributio in monasteria constituta est; pro mansione vero alumnorum, relegatis patribus Augustianis ex monasterio Vilnensi Caunam, hocce monasterium destinatur. Id genus seminarium generale, cuius cursum absolvere tenebatur quisquis clericus, qui lauream in scientiis et dignitatem in hierarchia ecclesiastica ambiaret, viguit ab anno 1808 usque ad suppressionem universitatis et creationem académiae Vilnensis: scilicet ad a. 1832. In decursu suo varias subiit sortes et modificationes, variisque utebatur rectoribus et professoribus, quorum nonnulli scientia et sanctitate vitae: uti Dowgird, eminebant paucos instituebat alumnos, quorum aliqui potius ambitione quam scientia theologica redundabant.

Episcopis dioecesanis erat infensum hoc seminarium non solum ob suam, extraneam a legibus canonicis, ordinationem; sed et propter institutionem ad investigandas scientias physicas et politicas, rem litterariam et artes potius, quam ad theologicas et canonicas, accommodatam. Quapropter et noster episcopus Kossakovius cedens iniuriis, per illegitimatam occupationem bonorum ecclesiasticorum, se motionem sui a regimine seminarii generalis et

annihilationem auctoritatis suae in universitate, totum animum apposuit seminario dioecesano illudque tam optimis professoribus quam instructione statui operariorum in vinea Domini proficia provisit. Insuper visitando dioecesim condidit seminaria Brestiae et Il-luxtae, quae instituerint alumnos ad vota ecclesiae et regulas iuris canonici.

Porro collegium theologicum universitatis, qua supremum tribunal in provincia, educationi et institutioni religiosae in omnibus scholis per Lituanię invigilabat. Cum autem educatio haec sine debito schemate et engravidionibus absolveretur, hinc ex consilio inter Siestrzenceviczium Metropolitam et Ministrum rerum internarum propositum fuit universitati—respective collegio theologicō—concinnandi engravidiones Catechismi et Eticae Christianae, ad instar engravidionum austriacorum, pro instituendis studiosis scholarum. Elucubratio Catechismi Michaeli Bobrowski, Eticae vero Ioanni Skidell, professoribus in ordine theologicō, proposita est. Skidell opus suum fausto marte perfecit, quod iam a. 1829 pro usu in scholis approbatum a ministerio fuit; sed non ita prosperam sortem subiit catechismus Bobrowscii, namque multa in eo conspiciebantur a censoribus dogmata superflua et periculosa, uti: de traditione, de summo pontifice, de excommunicatione et haeresi, de comparatione sacrilegorum cum iudeis, Christum crucifigentibus etc. Iussum est proinde Bobrovscio opus suum abbreviare et corrigere. Comparuit auctor castigatus et opus suum succinctum censoribus praestitit: adiungens simul apologiam, a Klagiewiczo, Fialkowscio et Skidello subscriptam, pristini engravidionis. Sed et novum hoc opus et appellatio in fucum venit, nam brevi universitas suppressa est.

Quanquam in collegio theologicō universitatis vilnensis aderant viri eximii scientia et mo-

ribus; tamen non omnes erant liberi ab impetigine josephinistica, quae a libertatibus gallicanis et a Josepho II austriaco imperatore originem dicit, et libertatem ecclesiae catholicae legibus civilibus tendit subiugare eiusque doctrinam de primatu Summi Pontificis, consiliorum et iuris canonici auctoritate transvertit et inficiatur. Praecipue sub hoc respectu notissimus erat in universitate professor iuris canonici et civilis Capelli, homo saecularis, Italus, qui in suis präelectionibus irridebat auctoritatem Summi Pontificis, episcoporum, synodorum et constitutionum ecclesiasticarum, totumque clerum irrisionibus et opprobriis afficiebat, eratque iuris professor cui arridebant discipuli, uti Siemaszko, Zubko et consortes. Idgenus spiritus perversionis adeo mentes et corda multorum penetravit, ut valedicentes ei, locum patrium petenti, auditores imaginem eius confici fecerint eamque offerentes qua „viro eximio, praeceptor optimo“ subscriptionibus suae manus confirmarint. Etiam et methodus scholastica in hoc collegio theologico despecta et reiecta fuit. S. Thomas Aquinatus et alii magistri scholastici, tanquam barbari repudiati, eorumque loco magistri gallicani et josephinistici uti Klüpfelius et Dannemayer agniti et a professoribus qua manuductores in studiis theologicis et historicis commendati cum debita tamen cantione et temperatione, a profesoribus solidis ut Klagiewicus, adhibita.

Non praetereundum tamen silentio putamus et merita vere eximiorum professorum, tam in ordine theologico: uti Skidell, Dowgird etc. presbyteri vere catholici, quam in ordine physico: ut Poczobut, fratres Sniadeccii, Jundzill etc. multi viri scientiarum physicarum et rei litterariae cultores devotissimi eximiique professores, qui studiis suis inspirarunt Mickiewiczios, Czeczotios, Zanos etc. in poesi, re litteraria et publica notissimos.

Item gratissima memoria digni sunt professores universitatis, qua propugnatores educationis plebeorum et pauperum, ad quem finem adipiscendum visita- bant et sustentabant pro posse scholas parochiales, fundabant sodalitia pro educandis organetis et su- stentatione pauperum studiosorum, atque omnia pro- ventionem scientiarum in Lituania fovebant, tenta- bant et ad effectum perducere conabantur.

Sed pia conamina eorum, si scholas parochiales respicias, parvum fructum fecerunt, tum ob de- fectum sustentationis, tum ob duritiam cordis non nullorum herum dominorumque, qui infantibus suo- rum subditorum scholas parochiales visitare prohibebant: tum etiam partim ob ignaviam et pigritiam plebeorum, panem quotidianum quaerentium. Inde exiit, ut scholae parochiales anno 1781 - 1782 ubique in parochiis sub directione Commissionis Educa- toriae vigentes, hoc tempore solummodo in quibus- dam pagis et oppidis maioribus a parochis, colla- toribus etiam et ab universitate sustentarentur; mul- tis in locis parentes domi ope conductorum praec- ceptorum infantes suos in rudimentis fidei et litterarum educarent.

Cum ita res in dioecesi nostra componerentur, videamus, quid acciderit notabili parti dioecesis no- strae regno borūssico subactae, nimirum decanatibus: Knyszynensi, Augustoviensi, Symensi et Olwiten- si. Attēndentes rescripta et mandata regis borussici Friederici Guillelmi provincias memoratas spectantia vi- dimus regem rei catholicae minime infensem, si confis- cationem notabilis partis bonorum ecclesiastico- rum non respiceremus. Etenim pro bono spiritu- ali catholicorum in provinciis subactis ex consensu Sedis Apostolicae, ut diximus, a. 1795 instituit dioe- cesim Wigeriensem in eremo camaldulensi Wigry, districtus Augustoviensis, eique Franciscum Karpo- wicz notissimum concionatorem Vilnensem praepo-

suit, et restaurationi nec non aedificationi novarum ecclesiarum per litteras regales cooperavit. Pro cathollicis vero ritus graeco uniti ex permissione Sedis Apostolicae anno 1798 sedem episcopalem Supraslpii, in districtu Białostocensi, creavit, eamque pensione annuaria per 4,000 thalerorum ditavit. Episcopatus hic tantum 10 annos duravit, scilicet usque ad annexionem districtus białostocensis imperio rossiaco. Tres tantum episcopi successive hanc dioecesim regebant: Theodosius Wiślocki, Nicolas Duchnowski et ultimus Leo Jaworowski, qui post adnexione suae diocesis episcopatui graeco unito Brestensi munere suffraganei brestensis fungebatur.

Dioecesis vero vigeriensis divisa fuit in duos officiatus: Wiłkowiscensem—lituanicum et Waniewensem—podlachicum. Waniewensis officiatus septem constabat decanatis: Białostocensi, Bielscensi, Branscensi, Drohicensi, Knyszynensi, Sokolscensi et Tykocinensi sub regimine officialis Gołaszewski; officiatus vero Wiłkowiscensis decanatus: Augustovensem, Calvariensem, Łozdzieensem, Olvitensem, Sejnensem, Sapiežysensem et Mariampolensem, comprehendebat.

Quibus ita ordinatis et compositis invigilabat rex Fridericus, ut et mores subditorum rite componerentur, iamque per episcopum et officiatus, iam per curiam civilem, dictam cameram białostocensem dirigebat litteras, quibus invitabat clerum et populum ad aedificandas ecclesias, sustentanda monasteria¹⁾, ad extirpandam in plebe et iuvenibus ebrietatem et fumationem tabaci, ad plantationem et conservationem arborum penes vias publicas, quia, ut refert rescriptum regium „quidam positos indices viarum, consita arboribus itinera et id genus destruere, de-

1) Uti in Adamowice, Sokołowo, Watneheid. Nowemiasto Hoppenwalden. Halla.

moliri atque devastare etiam ad praesens non desinant: quae summe detestanda insolentia malam characteristicam nationis huius imprimit notam, ac si incolae nationis huius in eiusmodi malignitate, seu verius dissolutione, distingui curarent“—proinde invitantur parochi, ut de ambonis huiusmodi insolentes suis remonstrationibus admoneant; ultimo minitatur transgressores penis statutis et statuendis.

Quod vero spectat vitam et usum religiosum subditorum praecavebat rex ne admittantur graeco uniti ad ritum catholicum sine solida convictione, alias enim iurgia inter familias et parvipensio, seu despectus, rituum oriretur; educatio prolis ex matrimoniis mixtis iuxta confessionem parentis filiorum, et confessionem matris—filiarum, commendabatur; caeterum quaestio haec arbitrio parentum relinquebatur. Ne autem capellae titulo quaestus, vel causa lucri aedificantur, requirebat consensum supremi regiminis. Item et musica ecclesiastica temperabatur, quatenus evitaret cantilenas leves et saltatorias et applausus spectatorum et auditorum; que omnia ignominia et dedecore inficiunt templum Dei, proindeque omnes conventus musici, questus causa in ecclesiis prohibentur.

Communicatio tamen cleri immediata cum Sede Apostolica prohibetur, commendaturque Camera regia, qua mediatrix in huiusmodi negotiis.

Sed non diu patuit regimen borussicum in provinciis a Lituania et Podlachia avulsis; namque anno 1807 mense Aprili nova conventio regum provincias huius modi imperio rossiano adiunxit, scilicet totum districtum Białostocensem; dioecesis vigeriensis regno Poloniae annexa, sub regimine memorati Gołaszewski, qua successoris defuncti a 1803 episcopi Karpowicz, permansit usque ad an. 1818, quo sedes episcopal is in urbem Seyny translata fuit.

Districtus Białostocensis et terra Drohicensis

atque Bielsensis dioecesi mohyloventi annumerati sortem et leges subierunt in imperio rossiano vigentes. Archiepiscopus Siestrzencewicz litteris datis de die 8 mai a. 1808 praecavet clerum, ne cum sede Apostolica sine permissione ministri regii communicationem ineat, neque bullas aut aliquas litteras Sedis Apostolicae recipiat; potestatem spiritualem committit decano Knyszynensi et eodem anno, die 21 Decembris, regimen in spiritualibus cum titulo *archidiaconi bialostocensis* per litteras peculiares concedit parocho Turosniensi Rakowski. Sic orta est archidiaconia bialostocensis, quae diu, ut titulus sine re vigebat, donec tandem a. D. 1891 exspiravit.

Eodem anno quo ita se res componebantur in extremis ditionibus nostrae dioecesis defunctus est episcopus vilnensis Kossakowski,—cui successorem nominavit Siestrzencewicz notum iam nobis olim rectorem universitatis, in praesenti vero membrum collegii, Hieronimum Strojnowski, qui donec acceperit bullam a sede Apostolica praeconisantem i. e. ad annum 1814 residuebat Petropoli; regimen vero dioecesis committebat selectis a se praelatis capituli vilnensis¹⁾.

In summa rerum perturbatione, quae totam Europam concutiebat, duce digito Dei, puniente iniustitiam regnum, Napoleone, et nostra dioecesis varias sortes experta est. Una cum morte episcopi Kossakowskii instat periodus nigro lapillo notanda, videlicet continua fere orbitas in absentia episcoporum, qui tanquam hospites et exules ad breve tempus cathedram vilensem ascendunt, eamque derelinquent, vel morte erepti, vel a gubernio relegati. Quae mala ex hac orbitate oriuntur, bene norunt corda catholicorum et Deus, qui regit orbata dioecesim, patiens et iustus Dominus.

¹⁾ Vide directorium ex a. 1904.

Sane, non defuerunt viri eximii in capitulo vilnensi eo tempore, quo Strojnowius regimen dioecesis suscepit, ut memorati suffraganei Nicodem Puzyński, Adamus Kossakowski, Antonius Giedrojć praelatus praepositus, Michael Dłuski praelat. archidiaconus, Antonius Kruszewski, Thaddeus Kundzicz, Joseph Bogusławski etc. praelati et canonici capituli viln.; at etiam sublimes dotes praelatorum non possunt aequiparari muneri et auctoritati episcopi dioecesanei—patris dioecesis inseparabilis ex institutione divina.

Volutabantur itaque sortes orbatae dioecesis sub regimine remoto Strojnowii inter infasta prementia et incertum futurum tempus; adimplebantur pro posse mandata et regulamina gubernii, solvebantur causae contentiosae et matrimoniales, conscribebantur ecclesiae parochiales et monasticae, bona et dominia ecclesiastica. Custodiebantur a gubernio Graeco-unitae, ne ad ritum Romanum transirent, sacerdotes Graeco-uniti ritus captabant catholicos ritus Romani, et in capellas catholicas sese intromittebant, uti patet ex litteris episcopi Kossakowskii ad Collegium directis a. 1805, in quibus quaeritur episcopus sacerdotes Graeco-uniti ritus benedixisse per vim invito collatore capellam in bonis Drohiczynek.. constructam, ad quam primarium lapidem, in defectu sacerdotis Romani ritus, benedixit presbyter Greco-unita. Haec occasionalis fortuitaque benedictio primi lapidis etiam ad benedicendam capellam constructam, et quod inde sequitur ritui Graeco-unito destinandam, praetextus sufficiens efficaxque causa fuit memoratis presbyteris unitis.

Ab initio itaque praesagia futurorum aerumnarum damnorumque ecclesiae catholicae haud occulte enitescebant. Sed cum in tota Europa, ut diximus, res politicae susdeque miscerentur; spes quaedam melioris sortis praefulgebat, et hoc in marte Napo-

leonis. Venit tandem diu expectatus heros, qua vindex libertatis et iustitiae, ab inebriatis eius vana gloria et faustis victoriis, conclamatus; reipsa vero Summi Pontificis regnorumque oppressor. In primo suo ingressu conspiciebatur res nostras obiter tractasse seque totum in debellationem Rossiae et in extendendam suam hegemoniam super totam Europam intentum. Legiones eius non solum milites nobiles et bene in re virtuteque militari meritos; sed et congeriem omnium nationum, rapinis et profanatione templorum Dei ubique notissimam, continebant. Pro alleviatione, regio nostra novas conspergit clades: vastationem ecclesiarum desolationemque in locis sacris, ubi hi commilitones Napoleonis comparuerint.

Nihilominus tamen spes quaedam faustiorum temporum affulsit sub auspiciis multa promittentis Napoleonis, iamque et novum regimen in civitate nostra introducitur, et vetus stylus eliminatur novo commutatus. At brevi patuit fallax augurium; eodem anno, frigore crudeli pressus post cladem Moscoviae, fugit Napoleo ex Rossia, eumque sequebantur miserrimae, fame et frigore debilitatae, semimortuae copiae. Et in loc luctuoso reditu invadebant ecclesiastis et mansiones iam non aurum et rapinas, sed panem et vestitum quaerentes. In his miserrimis residuis legionum, victoriis olim et faustis successibus in toto orbe subiugato inflatis, clypeis et aureis galeis corruscantibus: nunc vero laceratis vestibus etiam et casulis, pluvialibus nigrisque tegumentis sepultuarioribus, ex eclesiis raptis, induiti contectique, horribilem vindictam Altissimi eiusque prophetae praesagium: „vae, qui praedaris: nonne et ipse praedaberis? cum consummaveris depraedationem, depraedaberis“, ad amussim adimpletum, subierunt.

Quam post cladem omnia in dioecesi nostra ad statum pristinum, qui post annexionem provinciae

Lituanae gubernio Rossiaco invaluit, redierunt etiam et stylus vetus. Strojnowius tandem litteras praecognitorias in nostram dioecesim obtinuit, at Vilnam appropians morte subita occubuit. Siestrzencewicz de hoc obitu certior factus seque archiepiscopum vilnensem futurum divinans administratorem nostrae dioecesis perpetuum sese proclamavit, proindeque et administratio dioecesis per substitutos ab eo praelatos ulterius continuatur, munera vero episcopalia post mortem suffraganei vilnensis Puzynae¹⁾ suffraganeus Curoniensis Adamus Kossakowski usque ad mortem suam a. 1828., Vilnae residens, persolvebat.

Tota fere administratio in foro externo, hoc periodo usque ad mortem Siestrzencewicjii ad communicandas adimplendasque varias propositiones gubernii intenta fuit. Sic anno 1817 publicatur mandatum ministeriale de non aedificandis ecclesiis ligneis, et ubi murari nequeant, parochiam adiungendam vicinae, si et hoc impossibile videbitur recurrendum ad curiam gubernatoris; id genus mandatum non solum catholicos sed et unitas et protestantes respiciebat. Dein anno sequenti sub penis ferendis prohibetur clerus catholicus liberare subditos plebeos, quia haec libertatio, uti opinatur minister et fiscum privaret redditibus, et plebeos ignorantiam doceret; liberatur vero clerus ab explendo Supremo mandato de denuntiatione gubernio quoad coactionem plebeorum laborandi adimplendique opus servile diebus dominicis et 12 festis ab ecclesia orientali celebratis; idque munus rectoribus gubernii comittitur. Suspenditur presbyter unita copulationis fidelium ritus latini causa, archiva ecclesiastica et claustralicia iubentur tutari et custodiri; colligitur pecunia pro construendo templo catho-

1) Vide Dir. a. 1904.

lico in oppido Carskoje Sieło, et in editionem S. Scripturae, a societate anglicana susceptam; proponitur investigatio subsidii pro sustentandis pauperibus ecclesiis et monasteriis, statuiturque vectigal superimpositus in beneficia pinguiora ad colligendam sufficientem summam pro sustentandis memoratis ecclesiis monasteriisque (wspomogatielnyj kapitał); oneratio beneficiorum debitum pecuniariis prohibetur. Instituuntur examina pro concurrentibus ad beneficia; colliguntur notiones statisticae a professore Łobojko de linguis et idiomatibus in Lituania usitatis; publicatur bulla excommunicans sectam carbonariam, consignantur ab a. 1818 in tota dioecesi ecclesiae parochiales et monasteria cum exacta demonstratione rerum, bonorum, documentorum foundationis, bibliothecarum, scholarum et numeri fidelium eorumque morum et consuetudinum. Maiores momenti, et quasi testimonium vitae catholicae, adhuc in animis catholicis adversis factis minime extinctae, fuit solemnis iubilaei a. D. 1826 celebrazione; qua occasione iam copiae fidelium accedentium ad thesaūrarium gratiae et misericordiae divinae suam pietatem, iam et clerus specimina concionatorum operariorumque in vinea domini, patefecerunt omnibusque ob oculos praesentaverunt. Ex sugestu ecclesiae cathedralis et S. Joannis praedicabant gratiam iubilei viri eximii, notissimique sacra eloquentia, tam canonici capituli, quam professores universitatis Vilnensis, uti Ignatius Borowski, Angelus Dawgird, Ioannes Skideł etc., atque cancionatores incliti ex ordine Missionariorum, praedicatorum et Bernardinorum, scilicet Joseph Bohdanowicz, Falkowski, Marcinkiewicz etc. Qui annus, celebris iubilaeo, ultimus fuit vitae Siestrzencewiczzii.

Mortuo Siestrzencewicz dioecesim administrabat vicarius capitularis praelatus Mikucki usque ad mensem Novembrem a. 1827, quo mandato Impera-

torio administrator dioecesis constitutus fuit Metropolita Mohyloviensis Cieciszowski, senex Luceoriae residens. Et hic munus administratoris per procuratores gerebat. Per se patet id genus administrationem esse peremptoriā et nihil gravi pro emolumento dioecesis praestare potest; et reipsa praeter litteras pastorales ad clerum de vita et moribus deque continuanda visitatione dioecesis per praelatos et canonicos capituli vilnensis, et decanos, iam ut novimus sub regimine Siestrzencewiczzii a 1818 inchoata, nihil novi utilisque praestitit.

Huiusmodi visitationes quasi providentiales fuerunt, iam enim instabat tempus novae probationis et digitī Dei permittentis subversionem et eliminationem multarum ecclesiarum, quae inchoantur vigili segregatione graeco-unitarum ab unitate catholica et inclinatione ad ritum graeco-rossiacum, crescent post insurrectionem anno 1831 Poloniae et Lituaniae et ad finem 19 fere aevi perdurarunt. Et quidem iam ab anno 1827 graeco-unitae non solum praecavebantur, ne ad ritum latinum transirent, sed et qui iam anteā transierunt, reverti ad suum pristinum ritum stricte et irrevocabiliter iussi fuerunt. Prohibitumque erat clero catholico recipere unitas etiam libenter ad ritum romanum accedentes. Ad reducendos vero graeco-unitas ad ritum pristinum commissio mixta ex clericis Rom.-Catholicis et unitis instituitur, quae dignosceret eos, qui post a. 1798 ad ritum latinum transierunt. Inquisitio haec dupli argumento nitebatur,—documentis scriptis, uti: metrices, et status animarum; vel confessione oretenus expressa; qui sponte revertebantur, his poena remittebatur, qui autem occultabant suum transitum ad ritum latinum mulctabantur deportatione in alias provincias.

Cum vero post brevem administrationem Cieci-
szowscii canonicus capituli vilnensis Andreas Klagie-
wicz a. 1828 mense Februario administrator dioece-

sis vilnen. constitutus fuisse, tota series mandatorum mittebatur ei a ministerio, quibus novae dispositio-nes et regulae, tum erga unitas, tum erga catholicos promulgatae sunt. Praevidens mala futura Klagiewicius in id praecipue incubuit, ut clerum catholicum clypeo fidei et regulis vitae sacerdotalis praemuniret. Proinde statim post susceptam administrationem tan-quam dux militum Christi, omnes sacerdotes ad se invitat, ut eos personaliter cognosceret. Dein praemonet clerum, ne vita sua et conversatione cum po-pulo fideli ullam daret offensionem, evitaretque tur-pem questum et simoniam. Commendat igitur sacer-dotibus, tam parochis quam vicariis, residentiam penes ecclesiam, aestimationem debitam suae vocatio-nis et status, tam in conversatione, quam in amictu et vestitu, cautionem erga clericos vagos, recitationem breviarii, diligentem custodiam librorum metri-calium et consignationem status animarum. Praeca-vet a nimia frequentatione domorum mansionumque saecularium, ab implicatione negotiis familiaribus, a lusu chartarum et a nimia confidentia cum saecu-laribus; prohibet feminas familiares et culinae ma-gistras imperare in plebaniis, et clericos publicam cum iisdem feminis in uno curru vectionem, atque sustentationem equorum per vicarios.

Sub finem anni 1830 imminebat Lituaniae pess-tis, cholera dicta, quae iam Moscoviae grassabat. Klagieviczius per litteras pastorales suadet sedulam praecautionem contra ingruentem pestem, indigetat media medicalia atque orationes et supplicationes publicas pro avertenda peste commendat. Interim insurrectio magna oritur in regno Poloniae, totam-que Lituaniam excitat ad arma et bellum civile. Klagiewicius litteris de die 27 Februarii a. 1831 praecavet clerum, ne se immisceat huic insurrectioni, populumque ab eadem reducat, doceatque de debita potestati Imperatoriaie obsequio. Insurrectio tamen

crescebat in dies et cum ea repressio a gubernio. Eodem anno mense Junio Klagiewicius in Russiam relegatus fuit, et Consistorium dioecesanum, vice eius fungens, clerum informat de poenis imminentibus clericis, qui se insurrectioni immisceant et alia quae-dam promulgat; donec tandem, sopita insurrectione, die 9 Junii a. 1832 Klagievicius Vilnam reversus est.

Post suum reditum multas conspexit clades Klagiewicius, quibus iam praecurrere minime potuit. Etenim ecclesiae multae et monasteria suppressionem subierunt uti iam enumeravimus in Directorio a. 1906. Simul et universitas Vilnensis abrogata fuit, eiusque bibliotheca opulentissima, a pp. Jesuitis et Commissione Educationis in decursu saeculorum collecta, dispergitur; et partim Petropolim, partim Moscoviam (manuscripta historica) ad bibliothecas universitatum destinantur et mittuntur; opera vero theologica et medicinalia Vilnae reliquuntur. Supressa enim universitate relicti fuerunt duo ordines studiorum: theologicus et medicinalis, qui primitus sub nomine académiae medico chirurgicae, ab anno autem 1834—académiae ecclesiasticae usque ad annum 1842 superstiterunt. Quod spectat ordinem theologicum studia quandam mutationem subsierunt et quaedam ex schemate studiorum pristinorum reiecta, quaedam addita fuerunt. Cursus itaque theologicus in restaurata academia continebat. S. Scripturam, hermeneuticam, logicam, philosophiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, homileticam, rem litterariam polonicam, romanam, graecam et rossiacam, historiam universalem et rossiacam; linguas: hebraicam, germanicam et gallicam atque notiones hygienicas. Praelectiones fiebant: lingua latina, vel rossica; solummodo homiletica et conciones studebantur lingua polonica.

Huic academie praeficitur Rector ex clero. Primus fuit notissimus infulatus Olycensis, auctor hucusque typis non excussi operis de vita et gestis episcoporum Vilnens., canonicus Osiński; professores, vero si paucos excipias, iidem remanserunt idemque et spiritus iosephinisticus permansit in studiis restauratae Almae matris.

Suppressio universitatis magno dolore affecit Klagiewicum, qua eius alumnū et professorem; sed maiores aerumnas et negotia duriora ex vicissitudinibus ecclesiarum animarumque fidelium adiiciebantur. Praeter enim suppressionem plusquam 30 monasteriorum, iam et in grege fidelium desolatio videbatur. Namque cum a. 1832 die 23 Novembris exiit mandatum a gubernio de copulandis matrimonii mixtis, catholici videlicet cum profitente graeco rossiacam fidem, et vice versa, in templis graeco-rossiacis et de educanda prole in fide graeco-rossia-*c*a; graeco-uniti presbyteri sibi hoc ius erga catholicos arrogarunt et per matrimonia mixta baptismumque infantium suas paroecias augebant, et his non contenti advocato ope officialium gubernii parochias catholicas visitabant, perlustrabantque libros status animarum et metricales, si non invenirentur forsitan graeco-unitae, ibi vigentes vel conscripti, quo in casu si eos invenissent ad ritum suum reverti cogebant, etiam et catholicos ritus Romani variis sub titulis coloratis ritui suo adsciscere conabantur.

Quo abusui legis etiam civilis occurrens Klagiewicus dedit litteras a. 1838 mense Martio № 873, quibus clerum sibi subditum certiorem facit de legibus vigentibus, et de abusu parochorum graeco-unitorum delato sibi per decanos, ac dein instruit clericum quomodo populum fidelem ad tenorem legis defendat. Protestatio eiusmodi et praecautione per quam necessaria videbatur, quia ab anno iam 1833 gubernium invigilabat separationi graeco-unitarum cum

clero Romano-Catholico. Die 11 Aprilis a. 1833 prohibitus fuit clerus Rom.-Catholicus uti servis graeco-unitis, deinde etiam et clerus graeco-unitus iterum iterumque a servitio in ecclesiis Romano-Catholicis removetur. Cum autem graeco-unitae sub finem anni 1839 ecclesiae graeco-rossiacae adiuncti fuissent, et ad notitiam Klagiewicji delatum esset a catholicis eos schismaticos nominari et non venerabiles (blagoczestiwyje), ut mos est in eadem ecclesia confessores appellare, praecavet clerum et populum, ut abstineant ab id genus opprobriis, neque parochi molesti fiant convolantibus ad matrimonia mixta. Anno sequenti nova descriptio catholicorum facta est, et qui eorum ecclesiae graeco-rossiacae adiunguntur, exigitur ab iis promissio, subscriptione firmata, de non revertendo ad fidem catholicam.

Quod vero spectat clerum Romano-Catholicum eiusque privilegiorum, nova ab anno 1831 promulgabantur mandata, quibus iam prohibebatur exitus in alienam guberniam et etiam districtum, et susceptio acatholicorum in sinum ecclesiae catholicae, imo et audire confessiones ignotorum poenitentium, proinde exhibitio testimoniorum ab accendentibus ad sacramentum confirmationis, quod sint catholici, praescripta est etc. similia.

Klagiewicus undique pressus omnibus satisfacere tentabat. Cordi tamen preeferens aptos mores et debitam ordinationem pietatemque in clero et populo, post exilium suum novas promulgavit litteras pastorales. Et imprimis de celebratione solemnitatis 40 horarum, litteris de die 28 Octobris a. 1833, statuit: 1-o celebrationem fieri festis principalibus; 2-o eam sacris institutionibus et sermonibus adauge-re; 3-o respicere vicinas parochias, ne huiusmodi solemnitas concurrat, cum simili solemnitate in vicinitate celebrata; 4-o tempus congruum pro hac solemnitate vernale et autumnale, quo laboriosi ruri-

colae a laboribus campanis vacent, indicabat. Postea eodem anno die 23 Decembris promulgat litteras de vitandis quaestionibus politicis in suggestu, et non admittendis concionatoribus solutioribus in loquendo, 2de non admittendis libris et cancialibus pietatis vulgaris sine censura, de vitandis vocibus et verbis potestatem civilem offendentibus, in hymnis et canticis vulgaribus, recitationi Rosarii et Horarum praemissis, atque in Litaniis (eas forsitan voces quae regnum Poloniae vel adversarios ecclesiae memorabantur, ni fallor) et 3-o enumerat hymnos vulgares quae decantari debent in processionibus cum Sanctissimo, uti: Boże w dobroci; U drzwi Twoich; Straszliwego Majestatu: Twoja cześć chwała etc.

Dein a. 1833 die 31 Decembris publicavit litteras ordinatorias, quibus vitam et consuetudinem mutuam parochorum et eorum vicariorum componit. Increpat parochos de remissione functionum sacerdotalium in humera vicariorum et, Christi exemplum iis prae oculis proponendo, hortatur, ut ipsimet pagos et casas plebeorum visitent. Vicarios admonet, ut sint laboriosi et suis parochis obedientes, reprehendit clericos domi non assidentes, sed per vicinia cursitantes, eosque planos (latawcy) nominat. Pro sacris functionibus praetium exigere prohibet; sed accipere, quod ex gratia praestant fideles, admonet. Adhortatur parochos, ut vicariis mansionem nitidam, tepidam et sicciam, simulque victum, servos domesticos, equos ad visitandos aegrotos et 60 rubel. pensionis, cum proventibus, „stolae minoris“ praebant. Mansiones plebanales, uti collegia sacerdotalia sustinere, lectioni, scriptis et studiis vacare. Dein, S. Pauli adhortationem ad Philippenses alludens, (c. IV, v. 8—9) iubet clerum evitare omnia, tam in vestitu, quam in conversatione cum extraneis, quae statum clericalem dedecent: item convivia, nundinas, lusus, venationes etc. a S. canonis prohibita. Demum proponit

regulas vitae et consuetudinis pro altaristis, filialistis, capellanis, regularibus etc.

Sequenti anno die 6 Januarii ordinem conservationis librorum metricalium et status animarum praescribit; pro acquirendo quasi-domicilio ad matrimonium contrahendum 6 menses assignat; sepulturam cadaverum tantum cum scitu parochi admittendam iubet: eodemque anno die 16 Februarii certiorem facit clerum de modo procedendi erga catholicos contrahentes matrimonium cum graeco russis etc.

His in negotiis Klagiewicci et in adversis dioecesis a. 1839 accidit preconizatio eius in episcopum vilnensem. Iamque videbatur, vel potius divinabatur, instare finis diurnae orbitatis dioecesis. Corda fidelium sursum efferebantur, mentes oppressae et moestitia huc usque obumbratae faustiorem lucidioremque diem praesagebant. Proinde et ingressus episcopi in sedem cathedralem magno cum apparatu et solemnitatibus, celebritatem praeteritorum faustorum temporum in memoriam reducentibus, die 28 Junii a. 1841 persolutus fuit. Processioni solemnri ab ecclesia pp. Franciscanorum ad ecclesiam cathedralem omnes fere status civiles et clericorum aderant; praecedebant huic processioni societas laboriosorum et fabrorum, pia sodalitia cum vexillis et clerus regularis; quos sequebantur clerici saeculares et quidem: 100 tunicis et dalmaticis, qua subdiaconi et diaconi induiti et 100 sacerdotes casulis vestiti, caeteri vero superpelliceis amicti. Duo sacerdotes reliquias SS. Stanislai et Casimiri, et unus praelatus capituli vilnen. bullam Ssmi pontificis, portabant, postea totum capitulum togis decoratum praecedebat episcopum, cui assistebant archidiaconus et canonici ad honores, et innumerabiles fere copiae fidelium. Penes ecclesiam S. Joannis rector academie, canonicus Fiałkowski, cum proffessoribus episcopo exiit obviam eumque

nomine almae matris fausto sermone salutavit. Sacro solemnii in ecclesia cathedrali, a suffraganeo Trocensi Cywiński celebrato, praeter clerum, generalis - gubernator, civilis praepositus nobilium et caeteri praefecti et magistratus civiles assistebant; e copiosa turba fidelium vix quarta pars in ecclesia collocari potuit.

Coram hoc, tam vario et copioso coetu, adversis, aegritudine et senectute fractus proximamque sibi mortem instare praevidens, intronisatus episcopus brevem dixit sermonem de munera episcopalis dignitate, officiis et fine, de perseverantia usque ad finem mundi ecclesiae catholicae, ac de obligatione fidelium stare intrepidos in fidei catholicae confessione. In fine huius sermonis praemonens fideles de appropinquante ultimo die vitae suae: „Ego enim iam deliberor, ait verbis S. Pauli ap., et tempus resolutionis meae instat. Hac ineluctabili sorte pressus praesentem salutationem meam in valedictionem mutare cogor: quippe quia nihil amplius gravis et singularis ex se vobis promittere possum; praeterita tantum mea gesta et labores memoriae vestrae committens, rogo vos ut delicta mea et infirmitates, quibus omnes obnoxii sumus, benigne remittatis. In administratione dioecesis mihi commissa non proprium emolumentum quaesivi, sed honoris Dei, ecclesiae gloriae, observationis legis sacrae et amoris salutis vestrae zelo ardebam; quo zelo motus forsitan aliquando limites temperatas transgrederim, et nimis rigorosus fuerim“. Porro initia religionis catholicae, regnibus et cooperantibus Urbano VI summo pontifice et Jagiellone, rege Poloniae et magno duce Lituaniae, ex ecclesia cathedrali pullulantia et succrescentia alludens dicit: „Pretiosa ista haereditas, a praedecessoribus tradita, crescat et firmetur in cordibus vestris et filiorum vestrorum: benedicat Ommipotens Deus huic templo: idemque et alia, quae forsitan in hoc loco constructa fuerint, immunia con-

servet; ut cum supremus iudex advenerit, non incredulitatem et extremam desolationem in evangelio praedictam, sed fidem firmam ardentemque charitatem Dei et proximi inveniat...“

In quibus verbis et encomiis Klagievicius, pastor ecclesiae vilnensis transitorius, et administrator qui vidit tempora multa, fideles suos salutabat et valedicebat iis proxima orbitate minatis. Obiit eodem anno die 27 Decembris.

Post eius fata capitulo elegit vicarium suum suffraganeum Trocensem Joannem Cywiński,¹⁾ cui dura sorte exiit testem fieri suppressionis academie vilnensis, addictionis fisco amplorum bonorum ecclesiasticorum et novae ordinationis seminarii dioecesani. Clausis aedibus academicis Vilnae an. 1842 sectio theologica translata fuit Petropolim, ibique nomine Academiae Imperatoriae Romano Catholicae constituta, sectio vero medica Kiovensi universitati adiuncta. Una cum translatione academie proposita fuit a gubernio restarautio Seminarii Dioccesani quoad regimen et ordinem studiorum. Relicta suprema auctoritate Episcopi dioecesani, quoad directiōnem Seminarii in creandis et dimittendis profesoribus, suscipiendis et ordinandis alumnis nec non invigilandis studiis et educationi alumnorum, novum statutum a gubernio propositum limitavit studia huc usque in seminario tractata et novum schema studiorum proposuit; quod S. Scripturam, theologiam dogmaticam et moralem, historiam ecclesiasticam et homileticam, atque linguam, rem litterariam et historiam rossiacam continebat, secluso iure canonico uti disciplina superflua. Quod vero spectat inspectionem proventorum et expensarum Seminarii aliarumque rerum, ad oeconomiam pertinentium, introductum fuit sic dictum Regimen seminarii, cuius membra

*) Vide Direct. ex 1904.

rector, inspector, procurator et duo laici professores: linguae rossiacae et historiae, constituti sunt. Pro sustentatione 40 alumnorum, et totius seminarii 6,000 rubelionum annuae pensionis assignantur. Civinscius post aliquam reluctantatem huismodi statutum et ordinationem seminarii a. 1845 acceptavit, adiecto tamen studio juris canonici schemati, a gubernio proposito.

Interim a. 1841 et 1842 omnia bona et legata pia ecclesiastica, scilicet cathedralia, capitularia, parochialia, monastica item et bona Seminarii atque bursae ambrosianae fisco addicebantur et addicta sunt. Usque huc possidebat clerus dioecesis vilnensis saecularis et regularis ampla bona, innumerabiles fere vicos et pagos per totam Lituanię, in quibus 48,950 homines subditi numerabantur, legata pecuniaria, si summas iam antea deperditas ultra 150,000 rubellionum excipias, efficiebant 2,100,067 rubelliones; ex proventibus suorum bonorum clerus aerario fisci 96,308 rubel. anni census solvebat.

Pro sustentatione capituli relictæ sunt 11 domus Vilnae et parva villa circa Vilnam pro aestiva residentia: item et 200 rubel. canonicis, et 250 rubel. praelatis, praepositoque capituli 300 r. annuae pensionis assignatum est. Pro residentia vero episcopi etiam parva villa Ponary circa Vilnam et Krzyżaki, item et lacus in districtu Swiencianensi relinquuntur; pro mansione vero eius domus capitularis destinatur. Pro sustentadis curatis ecclesiarum parochialium, post divisionem omnium ecclesiarum in quinque classes, seu gradus, assignata fuit id genus pensio annua: 600 rub. pro curatis I classis, 500 rub. II cl., 400 rub.—III cl., 300 rub. IV cl. et pro curatis V cl. 225 rub.; atque 46 iugera agri relicta fuerunt pro quolibet curato.

Brevis fuit administratio suffraganei Cywiński, namque a. 1846 die 17 Novembris deploratus a ca-

pitulo totaque dioecesi expiravit. Capitulum administratorem dioecesis elegit confratrem suum praelatum Antonium Fiałkowski, et hanc electionem Collegio Romano Catholico petropolitano communicavit. Collegium vero sua vice respondit Capitulo, iam Summa Auctoritate Imperatoria die 24 eiusdem Novembris praelatum huiusc capitulo, Venceslaum Żyliński, qua delegatum Dioecesis vilnensis in Collegio isto residentem, episcopum vilnensem nominatum esse.

ULTERIORA ANNO SEQUENTI.

WSCHÓD I ZACHÓD SŁOŃCA W ROKU 1909.

Miesiąc i dzień		Wsch. o godz.	Zach. o godz.	Miesiąc i dzień		Wsch. o godz.	Zach. o godz.
Styczeń	1	8.20	3.58	Lipiec	11	3.58	8.14
"	11	8.07	4.17	"	21	4.15	7.57
"	21	7.50	4.37	"	31	4.32	7.38
"	31	7.30	4.58	Sierpień	11	4.53	7.12
Luty	10	7.07	5.20	"	21	5.10	6.48
"	20	6.45	5.40	"	31	5.29	6.24
"	28	6.27	5.54	Wrzesień	11	5.47	5.56
Marzec	11	5.57	6.17	"	21	6.06	5.32
"	21	5.33	6.35	"	30	6.24	5.08
"	31	5.08	6.55	Październik	11	6.47	4.43
Kwiecień	11	4.41	7.15	"	21	7.07	4.21
"	21	4.19	7.34	"	31	7.27	4.01
"	30	4.03	7.49	Listopad	11	7.48	3.45
Maj	11	3.45	8.09	"	21	8.06	3.44
"	21	3.34	8.22	"	30	8.17	3.30
"	31	3.27	8.32	Grudzień	11	8.26	3.32
Czerwiec	11	3.28	8.37	"	21	8.27	3.42
"	21	3.32	8.36	"	31	8.21	3.57
"	30	3.42	8.28				



ODMIANY KSIĘŻYCA NA R. 1909

	Styczeń.	Luty.	Marzec.	Kwiecień.
	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.
⌚ Ostatnia kwadra	1 8 41 w.	—	2 6 12 r.	—
⌚ Nów	9 2 42 n.	7 1 22 d.	8 10 42 w.	7 7 22 r.
⌚ 1-sza kwadra . . .	15 5 5 d.	14 5 19 n.	15 7 19 w.	14 11 9 r.
⌚ Pełnia	23 10 55 r.	22 5 26 „	23 10 59 w.	22 2 6 d.
⌚ Ostatnia kwadra	31 3 17 d.	—	31 5 — n.	30 12 16 n
	Maj.	Czerwiec.	Lipiec.	Sierpień.
	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.
⌚ Nów	6 4 12 d.	5 1 59 n.	4 1 15 d.	3 2 25 n.
⌚ 1-sza kwadra . . .	14 3 58 n.	12 9 13 w.	12 2 16 d.	11 6 26 r.
⌚ Pełnia	22 3 55 n.	20 2 48 d.	19 11 44 w.	18 7 38 r.
⌚ Ostatnia kwadra	29 5 13 „	27 9 28 r.	26 2 40 d.	24 7 15 w.
	Wrzesień.	Październ.	Listopad.	Grudzień.
	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.	d. g. m.
⌚ Nów	1 5 39 d.	1 10 44 r.	—	—
⌚ 1-sza kwadra . . .	9 9 2 w.	9 9 34 „	7 7 59 w.	7 4 48 n.
⌚ Pełnia	16 3 36 d.	16 12 37 n.	14 11 22 r.	13 12 —n.
⌚ Ostatnia kwadra	23 9 15 r.	23 12 8 n.	21 6 43 w.	21 3 57 d
⌚ Nów	—	31 4 49 n.	29 10 29 w.	29 2 22 d.